Quodlibetariis Disputationibus agitanda in Schol. Medicorum die Jouis 16 nouembris.
D. Joanne Cottereau Doct. Med. moderatore prudentiss.

An quovis in morbo venae Sectioni locus?

Remedium omne quod viribus pollet, variosque effectus in corpore producit, fugiendum in morbis aut amplectendum est. Mite quod naturae amicum, corporis substantiam minime labefactans, minimo virium dispendio morbum oppugnat. Magnum ac vehemens (etiamsi tantum opportunum) omne praeter naturam est, praesertim vacuans. Quod plerumque e mediocritate transmissa aegrum in contrariam affectionem traducens, affectionibus externis aut internis reddit magis obnoxium, aut in periculum praecipitat. Hinc ad severum e auxiliorum usum, qui tribus ex scopis trahi est medenti praecipue, non affectionum modo vel causarum insalubrium, sed et facultatum habenda est ratio in quarum integritate salus aegrorum consistit. Quae, cum in singulis corporum differentiis pro aetatum, regionum, temporum, affectionumque magnitudine diversa habeant; magna remedia haud esse temere in morbis quibuslibet usurpanda semper admonent &c &c.

In his vena sectio et purgatio sunt praecipua: Ambae affectionum ex contentorum vitio ducentium originem, haec qualitate peccantium, Illa redundantium proprium subsidium. Quae conclusio in venis humoris nullo delectu exhauriens, plus tamen eius in quo caloris ac vitae fundamentum est, facultates omnes debilitat etiam non indicata. Siccae vero utriusque maiore dispendio corporis venarum potestas refrigerat. Quo fit, ut quemadmodum viribus infirmis corporibus laxis ac mollibus, victus rationi, aetati frigidis siccis aut humidis adversatur; sic et partium praesertim nobilium morbi, quam plurimi quique fiunt ex his Cachectici cognatis omnino reiiciant.

Ac cerebri quidem intemperies frigida humida et connaturalis, excrementorum est pituitosorum procreatrix, à quibus cataphorici affectus, Apoplectici, convulsivi (quorum causas tollendas vena sectio est inutilis, insultus mitigando, nisi venae tument, periculosa) humoris superflui copiam phlegmagogis assumptis, desiccantibus admotis exhauriendam, intemperiem in contrarium statum reducendam, robur parti conciliandum indicant. Eadem vero catarrhosicorum affectionum causa, articulos et cerebri πεφοχότα infestant, motum vis aut sensum, sensum vel utrumque simul adimit. Stomachi segnitiem, depravatae coctionis causam. Διαφορῆσαι plethoricus capitis et oculorum doloribus vitia inducit, quorum balneum, fomentum, mari potio, catharticum non minus quam vena sectio solvit. In talis autem maioribus, febribus cruditatis vindicem, venae sectionem minime, est per superiora curandam accedit &c &c.

Sed nec tam morbi thoracis omnes, aut indicant aut admittunt. Qui sanguinis plenitudine, lotica sputi cruenti participes, citra hoc auxilium, tuto, propria sponte quiescunt, hypochondriaca sola, sumpto cathartico flatus, aut pituitam deturbant, qui vero sunt partium contentarum propria, Asthmatici, Tussiculosi pro sua cuique natura et vitium faciunt, natura diversa remedia postulant, venae sectionem fere nulli. Sic neque in febribus, quaecunque putrida ex largiori bilis vel crudiorum succorum copia, Stomachi comitem affectionem habent, vacuantibus et hectica refrigerantibus et humectantibus profligandae, quorum nullum absque periculo venae sectio praestare potest. Nec paritur quartanae, sanguinis in venis flavo ac tenui: aut quae pestilenti malignitate vitales spiritum vitae authores inficiunt ac dissipant, in quibus sanguinem mittere, hominem certissime iugulare est &c &c.

Naturalium functionum vitia, partis et facultatis earum cuiusque propria, primae contentorum in corpore praeter naturam causae sunt, ex quibus et intus et in cute morborum facunda seges, sic ex omnium prospicientia, remedii cuique proprii inventio consurgit. Itaque hepaticis, intemperiei corrigentia roborantia βουλίμου θώρηξις. Colicae vitiosae, calida phlegmagoga, flatuosae sicut hydropi tympanitis flatus discutientia. Ascitis hydragoga, diuretica, omnia foris et intus siccantia, atque resolventia conveniunt. Obstructioni quae tenuando, incidendo, tergendo curatur aperiant. Quibus similiter erysipelata, herpetes, et affectuum plerique, quos in extimum corporis [illegible] natura fundit, sanguinis missionem velut inutilem respuunt. Omnium vero maxime vel pestiferum hisque venenorum parentem, bubones veluti [illegible] reformidant &c &c.

Non Igitur In quovis Morbo venae Sectioni locus.

Defendebat Joannes Lamonius Laudunensis. 1582.

F.E.P. BIBLIOTHEQUE

Dni Doctores disputaturi

M. Joannes Cottereau Praeses.
M. Claudius Fauuelet.
M. Joannes de Gagette.
M. Joannes Decourtion.
M. Ludouicus Dreux.
M. Dominicus Bourgoing.
M. Stephanus Gourmelen.
M. Joannes Liebault.
M. Mauricius de la Corde.